



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 97. Clandestinum foedus hujus Electoris cum Galliarum Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI. Gloriæ æque, ac reipublicæ adversum por-
A.C. 1551. ro expectandum est.

§. XCVI.

*Dolosa Mauritii Saxoniae Electoris
 dissimulatio.*

Attamen temerarium hoc responsum, necnon indulgentia, qua Mauritius tanta in audacia connivebat, prudentiores facile in suspicionem adducebat, quod Elector Mauritius leges quidem specietenus aliquantum severas Magdeburgensibus imposuerit, cæterum illis clam de religione, & libertate caverit, & maluerit per hæc conditiones potius sibi, quam Cæsari Urbem patere. Id quoque jam multis, nec obscuris indiciis, quantumvis dissimulandi mirus artifex, manifestum fecerat.

§. XCVII.

*Clandestinum Fœdus hujus Electoris
 cum Galliarum Rege.*

Sleid. l. 24. p. 890. & seq. & l. 23. pag. 853. Thuan. l. 8. Spond. hoc ann. n. 5.

Nec vana erat eorum, qui talia præsumebant, suspicio, quippe eodem ferme momento Mauritius Elector clam cum Galliarum Rege armorum societatem inibat, ad quod negotium Rex ministerio utebatur Joannis Fraxinei Bajonensis Episcopi, qui diu in Germania commoratus patriam hujus Nationis

lin.

Sæcul XVI.
A.C. 1551.

linquam calebat, eodemque tempore
 quæsito rerum gerendarum prætextu
 apud Saxonix Electorem agebat. Hoc
 fœdus Elector non modo suo, sed etiam
 Georgii Friderici, & Joannis Alberti
 Marchionum Brandenburgicorum, ac
 Guilielmi Hassix Principis nomine fir-
 mabat: erantque illius articuli, qui
 sequuntur, I. Pro Religione, pro Ger-
 manix libertate, pro Hassix Landgra-
 vii jam integrum quinquennium contra
 fidem datam captivi liberatione ad bel-
 lum Cæsari inferendum vires conjun-
 gant, II. Cæteros quoque Imperii prin-
 cipes, Civitates, & Ordines, utidem
 faciant, hortentur, pro hostibus, per-
 duellibus, & patriæ proditoribus eos
 habituri, & ferro, ac igne persecutu-
 ri, qui tam laudabiles conatus impe-
 dire, aut Cæsarem quoquo modo
 contra ipsos juvare ausi fuerint; III.
 Nullas inducias, aut pacem cum Cæ-
 sare faciant, infcio, aut non consen-
 siente Rege: Rex vicissim cum Cæsa-
 re, aut ejus hæredibus, & Sociis nul-
 lum pacis fœdus, aut inducias faciat,
 nisi vocatis, & consentientibus fœde-
 ratis, qui omnes unius personæ vice
 erunt, ut nec alter sine altero pacisci,
 aut sibi privatim consulere, ullumve
 omnino fœdus facere possit, IV. Hac
 societate non ipsi tantum Principes,
 sed

Sæcul. XVI., sed etiam ipsorum subditi, & omnes
A.C. 1551. „penitus, qui sub ipsis militant, &
 „porro militaturi sunt, comprehendan-
 „tur.

Reliquis hujus fœderis articulis hæc
 sanciebantur: I. „Donec bellum hoc ob
 „tam justam causam susceptum omni-
 „no confectum sit, ipsi vires, si opus
 „sit, cum Rege jungant, ac pri-
 „mum eos, seu vicinos, sive alios, a
 „quibus plus periculi imminet, in po-
 „testatem redigant: II. Recta contra
 „ipsum Cæsarem, quocunque locorum
 „sit, sive in Germania, sive in Belgio,
 „uti regi visum fuerit, exercitum du-
 „cant. III. In primi trimestris stipen-
 „dia rex ducenta quadraginta aureo-
 „rum millia intra vigesimam quintam
 „Februarii proximi diem numerari cu-
 „ret: in singulos sequentes menses sex-
 „aginta aureorum millia dependat. IV.
 „Fœderati octo Equitum millia conscri-
 „bant extra territorium suum, quo Cæ-
 „saris delectus impediant, V. Domi-
 „militem paratum habeant, ne sit eis
 „opus, si impetus in ipsorum fines fiat,
 „ab exercitu discedere, & pugnandi
 „occasionem, cum se offerret, divisis
 „copiis omittere. VI. Si Joannes Fri-
 „dericus, liberive ejus in fœdus con-
 „sentiant, cavere Mauritio teneantur,
 „hic vero omnem operam ad liberan-
 „dum

„dum eorum Patrem pollicebitur; si no-
 „lint, pro hostibus habeantur. VII.
 „Guilielmus, antequam in armis sit,
 „atque adeo ipsius parens, foederi cum
 „Cæsare inito renuntiet, & Mauritius
 „scripto Cæsari planum faciat, se ab
 „ejus amicitia, & obsequio discedere.
 „VIII. Ut obviam incommodis eatur,
 „quæ divisa in plures potentia in exer-
 „citu regendo accidere solent, cujus
 „rei exemplum recens extitit in foede-
 „ratorum exercitu ante quinquennium
 „ob eam causam a Cæsare deleto, &
 „dissipato, summa potentia penes Mau-
 „ritium sit, qui tres belli Consilarios,
 „quos velit, sibi ex omnibus deligat.
 „IX. fœdera, tractatus, pactiones ex
 „omnium consilio, & sententia fiant,
 „prædæ item, & collationes inter o-
 „mnes socios æqualiter dividantur. X.
 „Sacramentum a milite omnibus belli
 „Ducibus præstetur. XI. In omnibus
 „deliberationibus Mauritius, tanquam
 „primarius belli-dux, duas, cæteri
 „Principes singulas quisque sententias
 „obtineant: XII. Obsides utrinque den-
 „tur, a foederatis quidem Christopho-
 „rus, sive Carolus Megalopolensis, & Lu-
 „dovicus, sive Philippus juniores Hassiæ
 „principes; a Rege vero Joannes Marcia-
 „nus Jametii regulus, & Philippus Le-
 „noncurius Nantolii comes. „ Postea
 hisce

Sæc. XVI.

A.C. 1551

Sæcul. XVI. hisce pactis fuit adjectum, quod videatur e re omnium esse, ut Rex quamprimum Cameracum, si possit, Diviodorum, sive Metim, Tullam, & Virodunum Lotaringiæ civitates occupet, & præsidio firmatas sub Vicarii Imperii nomine in posterum teneat, nec non bellum in Belgio excitet, quo Cæsaris vires pluribus locis oppugnati distrahat. Postremo a fœderatis promissum, se deinceps pro tanto beneficio Regem amici & parentis loco habituros, eique vicissim in conservandis provinciis sibi aut majoribus suis ereptis præsto futuros, & omni ope enixuros, ut ipse in Cæsarem eligatur.

Hæc clam die octavo Decembris fuere sancita, quæ postea Galliarum Rex Campoburgi die decima sexta Januarii præsentem Alberto Brandeburgico rata habuit.

§. XCVIII.

Cæsar Hassiæ Landgravium libertati reddere rogatus.

*Thuan. l. c.
Sleid. l. 23.
p. 836.*

Cuncta hæc religiosa taciturnitate premebantur, cum interea Cæsar Oeniponti ageret, quo pariter Daniæ, ac Saxonix, & Brandeburgi Electorum, necnon Hassiæ Landgravii Oratores advenierant, ejusdem Landgravii libertatem sollicitaturi. Ineunte ergo Mense
De-